



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini  
Floret, Membri Historia Critica Philosophiae**

A Tempore Resvscitatarvm In Occidente Literarvm Ad Nostra Tempora

**Brucker, Johann Jakob**

**Lipsiae, 1743**

Capvt VII. De Restavratiōne Philosophiae Stoicae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29129**

facris et naturalibus veritatibus illudendi cogitandum relinquimus. Non-  
strum enim non est, de auctoritate ecclesiae in rebus naturalibus et veri-  
tatibus religionis naturalis definiendis disputare. Non inuiti itaque fate-  
mur, quamuis liber cetera elegans multaque et varia eruditione refertus  
atheismi crimine careat, institutum tamen eius, ipsamque tractationis  
indolem et rationem eam esse, vt incautis variis nominibus nocere queat.

Vnde ab iis tantum legendus est, qui animum habent sobria phi-  
losophiae, eiusque historiae cognitione probe  
subactum.

\*\*\*\*\*

### C A P V T VII.

## DE RESTAURATIONE PHILOSOPHIAE STOICAE.

### §. I.

*Occasio re-  
staurandae  
philos. Stoi-  
cae.*

**V**t Parmenideae et Ionicae sectae ex puluere resuscitandae occasio-  
nem dedit physicae Peripateticae exilitas, ita Stoicae sectae re-  
nouandae consilium inspirauit, moralis philosophiae, qualis in  
Aristotelis schola personuit sterilitas atque leuitas. Ea enim cum ciuili-  
um virtutum quarundam umbram modo exhiberet, et nec fatisceret animo,  
nec ad eum emendandum quicquam conferret, apud Stoicos, moralis  
disciplinae laude apud veteres inclytos meliores, quibus fatiari mens pos-  
sit dapes se deprehensurum ratus est IVSTVS LIPSIVS, magnum  
olim inter criticos seculi XVI nomen. Is enim ingenti studio et eleganti,  
qua pollebat, eruditione Stoicam ethicam resuscitare conatus est. Quae  
cum intelligi sine physiologiae Stoicae explicatione non possit, laudabili  
diligentia et praestantissima eruditione eam quoque explicuit. Is cum  
elegantem tradiderit, quo scopo ad renouandam philosophiam Stoicam ac-  
cesserit, omnino ipse audiendus est <sup>a</sup>. Vbi enim sibi a puero deamatam  
fuisse philosophiam dixisset, ita pergit: „Nec id ea via, qua hic philoso-  
„phantium vulgus feci, qui in spinis argutiarum aut laqueis quaestionum  
„male dediti non aliud quam subtili quodam disceptationum filo texunt  
„eas et retexunt. Haerent in verbis aut captiunculis: et aetatem totam  
„in aditu philosophiae versantur, adyta enim nunquam vident. Habent  
„eam vt oblectamentum, non vt remedium et instrumentum vitae maxi-  
„me serium vertunt in ludum quendam nugarum. Quis eorum mihi de  
„moribus quaerit? quis affectus temperat? quis timori, quis spei metam  
„ponit aut modum? quin adeo ad sapientiam spectare haec non arbitran-  
„tur, vt aliud aut nihil agere eos censeant, qui id agunt. Itaque vitam  
„eorum, siue iudicia vides, nihil vel in ipso vulgo reperias, quod ad  
„illam

<sup>a</sup>) Praef. ad librum de Constantia.

„illam attinet, spurcius, stultius, quod ad ista. Scilicet vt vinum quo nil  
 „salubrius, quibusdam in venenum est, sic istis philosophia, qua abutuntur.  
 „At mihi alia mens: qui nauim semper auertens ab illis argutiarum sale-  
 „bris, velificationem omnem direxi ad vnum tranquillae mentis portum“.  
 Quo loco memorabili quos potissimum Lipsius pungat, sequens, quam tra-  
 demus, disciplinae eius puerilis et vitae historia satis prodet; ita vero ma-  
 nifestum quoque facit ineptam inutilemque, quae in scholis regnabat cauil-  
 landi artem a sophistis iuuentuti magno damno traditam mentique ad tran-  
 quillitatem, et felicitatem consequendam nulla in re vtilem, virum erudi-  
 tissimum coëgisse, vt ad Stoicos confugeret. Quod qua ratione fecerit,  
 iam latius enarrandum est.

§. II. Adeo variis eruditionis elegantissimae meritis celebrata est in  
 republica literaria IVSTI LIPSII fama, vt pauci sint, qui res litera-  
 rias seculi XVI intelligunt, quibus ignota est praestantissimi critici hi-  
 storia. Eam post illa, quae ipse consignata reliquit<sup>b</sup>, accurate perscripsit  
 AVBERTVS MIRAEVS<sup>c</sup>, qui eius inter viuos agentis amicitia diu  
 vsus fuerat. Inde sua hauserunt biographi, HENR. ROLLIVS<sup>d</sup>,  
 MELCH. ADAMVS<sup>e</sup>, PAVLVS FREHERVS<sup>f</sup>,  
 FR. SWEERTIVS<sup>g</sup>, IANVS NICIVS ERYTHRAEVS<sup>b</sup>,  
 ANT. TEISSIERIVS<sup>i</sup>, P. BAYLE<sup>k</sup>, aliique, qui in hac  
 palaestra defudarunt. Et ex hoc quoque fonte, cum actis literariis illius tem-  
 poris comparato hauriemus, quantum ad noscenda Lipsii fata, eruditionem,  
 et consilium emendandae philosophiae opus est. Natus est Anno  
 cloſo XLVII, XV Cal. Nouembr. Isci, oppido tertio milliari a Bruxellis et  
 Louanio distante. Inter cuius maiores non ignobile est Martini Lipsii  
 nomen, quod cum Iusto confundit LVD. ELL. DUPINIVS. Is enim  
 Erasmi amicitia inclaruit, eique socias iunxit manus in edendis nonnullis  
 scriptoribus ecclesiasticis, denatus, anno cloſo LV'. A cuius fratre Ni-  
 colao genitus, Aegidius, Iusti parens. Qui cum parentum haereditate vil-  
 lam, agros, domum in Iscano municipio haberet, quamuis Bruxellensis  
 esset, nostrum eo loco genuit, et aliquot annis in isto praedio educavit.  
 Vbi bis vitae certissimum expertus est periculum, semel niuis copia fere  
 suffocatus, et dein ex alto delapsus; vtroque tamen tempore diuinae pro-  
 uidentiae tutela saluus euasit. Annos sex natus Bruxellas cum parentibus  
 migrans, literarum studiis initiatus est. In ludo autem istius vrbis mature  
 patuit, quam promptum et alacre ei contigisset ingenium, cuius instinctu  
 tam impigre in studiorum stadio currere coepit, vt praeceptor paruulum  
 geni-

*Iusti Lipsii  
 vita.*

b) Cent. III. ad Belg. Ep. 87.

c) Antwerp. 1608. 8. praemissa quoque est  
 eius Operibus.

d) Memor. Philosoph. Dec. II. p. 111. 112. seq.

e) Vit. Philos. p. m. 465. seqq.

f) Theatr. p. 1501.

g) App. ad Flores ex I. Lipsii Operibus excer-  
 ptos p. 359.

h) Pinacoth. III. c. 1. Addi his alii biographi  
 possunt Crasso, Ghilini, Hoffmannus, Buddae-  
 us &c.

i) Elogior. T. IV. p. 524.

k) Dict. T. III. Art. Lipse p. 125. seqq.

l) Videndus de COMI R A E V S de Script. sec.  
 XVI. c. 67. p. 158.

genibus impositum, ad accendendam condiscipulorum aemulationem, illis exemplum futurum commendaret. Ibi felicissimo labore Grammaticam didicit, in aquis autem vitae periculum adiit; et submersus periisset, nisi pronocae auxilio mirabili fuisset ereptus. Anno aetatis decimo Athum Hannoniae ablegatus est, denuo grammaticalibus praeceptionibus instituendus. In qua pistrina se biennium detentum esse postea deplorauit<sup>m)</sup>: ibi poëticam quoque facultatem attigit; anno tertio ad Iesuitarum collegium Coloniam Vbiorum missus et ab iis more recepto Graecis, rhetoricis, et philosophia imbutus est Scholastica, quod qua ratione factum sit, ex loco supra adducto discimus. Ibi tanto se studio in philosophiam incubuisse scribit<sup>n)</sup>, *vt peccare iuuenili quodam ardore videretur, et freno atque inhibitione fuerit coërcendus ita, vt velut per vim libri illi omnes e manibus et scripti etiam commentarii eriperentur, quos laboriosè confecerat. ex omni interpretum fece.* Id quod haud infeliciter factum est, cum nugis sophisticis animus eius sitiens veri pasceretur. In eloquentiae studium autem tanto ardore et ingenii praestantia incubuit, vt haud malo successu, Ciceronis eloquentiam imitaretur: eiusque specimen in orationibus iuuenilibus daret. Quam tamen et animo mutatus, et Taciti atque Senecae lectione, quam vehementer vrgebat, instigatus postea deseruit, et breuem illam, concisam, acutamque dicendi rationem sibi formauit, quae licet ingenii amoenissimi et feliciter audacis foetus videri queat, attamen a veterum scribendi modo, sobrio et iusto multis modis abiit. Qua re in Scioppii et Henrici Stephani reprehensionem incurrit, valde indignantium masculam eloquentiam eum corrupisse<sup>o)</sup>. Id quod longe iustiori *κακοζηλίας* culpa illis obiectum est, qui stilum Lipsianum imitati, a vera dicendi ratione mire deflexerunt<sup>p)</sup>. De qua re tamen hic plura dicere nihil attinet, sufficit hic adduxisse sanam illustris H V E T I I<sup>q)</sup> censuram, iudicantis: „Intercifum illum fermonem, et vibrantes sententias indoctorum adolescentium, vel imperitae forte multitudinis approbationem commouere „posse, sanis vero auribus et verae ac Tullianae eloquentiae vsu subactis „placere non posse.“ Non substitit tamen in verbis insatiabili discendi desiderio flagrans Lipsii animus, sed cum pectus satiare philosophia cuperet, et Scholasticae tricae illud non explerent, ad moralem et ciuilem eius partem conuersus a veteribus discere satagit, quod a recentioribus haurire non posset. Legit itaque diligenti attentione Epictetum et Senecam propter doctrinam moralem, et Tacitum propter ciuilem prudentiam. Quem amorem quoque in hos scriptores, quoad viuebat non deposuit. Hac vero re excitatus est ad cognoscendas antiquitates et accuratius exquirendum studium

m) Cent. I. Misc. ep. 94. conf. qui vilia nonnulla admiscer monita B A I L L E T. de Pueris praecocibus p. 184.

n) Praef. de Const.

o) Vid. ipse L I P S I V S Cent. II. ad Belgas ep. 87. Cent. III. ep. 82. Aliorum iudicia vide apud Thom. P O P E - B L O V N T. Cenf. cel. Auct.

p. 840. T E I S S I E R. I. c. B A Y L E I. c. not. M. M O R H O F Polyhist. T. I. L. I. c. 24. §. 63. P. 298.

p) Conf. praeter laudatos C L E R I C V S Bibl. sel. T. I. p. 316. I A C. T H O M A S I V S Praef. ad Manutii Epistolas.

q) De clar. Interpret. p. 282.

dium criticum, colendasque humanitatis disciplinas, sine quibus praefidiis veteres libri intelligi haud possunt. Totus autem deuotione flagrans patribus Societatis Iesu aggregari voluit; quod cum parentibus displicuisset, eum sedecim annos natum Louanium transtulerunt. Ibi et veteris literaturae et iurisprudentiae studiis se totum mancipauit, duce in illis Cornelio Valerio, viro humaniorum literarum peritissimo<sup>r</sup>, sub quo praeceptore in his studiis cum Lipsio militiam literariam ingressi sunt Martinus Delrius, Victor Giselinus, Ianus Lernutius, Andreas Schottus haud vulgaria postea in republica literaria nomina, quibus ex aese amicis Lipsius tum vsus est. Eo tempore patrem et breui post matrem quoque amisit relicto exiguo, quod pater valde attriuerat, patrimonio. Quod coëgit Lipsium ad animi diuitias, quas largas a natura acceperat, respicere, eis que augendis et amplificandis omnem suam industriam tribuere. Quam viam ingressus ita impiger cucurrit, vt anno c<sup>o</sup>DLXVII *Variarum lectionum* libros, nouendecim annorum iuuenis edere posset, quo libro fundamentum eum gloriae illius iecisse, ad quam postea conscendit recte obseruatum HADR. BAILETO<sup>s</sup>. Hunc cum inscripsisset Antonio Perenotto cardinali Granuellano, occasio illi inde enata est tanto viro innotescendi. Qui Lipsium in Italico itinere Romam delatum omnibus humanitatis officiiis profecutus est, adituque in suam domum parato, auctor illi et hortator ad profequenda alacriter studia extitit; tandem eum sibi a Latinis epistolis esse iussit. Quo munere cum non magnopere labore distineretur, otium nactus est, insatiabile desiderium, quo antiquitatem noscere ardebat, explendi, et animi thesauros pulchre amplificandi. Nam et lapides veteres et exesa vetustate monumenta curioso perlustrabat oculo, et rudera collapsa diligenter perreptabat, et aditu parato ad bibliothecam Vaticanam ope patroni ex hoc animorum *isarelio* magnas eruditionis accessiones faciebat. Quin ex virorum quoque eruditione summorum, Pauli Manutii, Fuluii Vrsini, Latini Latini, Hieronymi Mercurialis, M. Antonii Mureti consuetudine plurimum alimentorum doctrinae sibi comparabat. Quae vero ad excolendos ingenii fundos amplissime illi profuerat Italia, plurimum eius moribus obfuit, animumque corrupit. Redux enim cum eruditionis elegantia vitae licentiam Louanium attulit, et quas diligere iam tunc coeperat Epicteti praecepta vita non expressit, sed sine parente, sine tutore, qui monitorem illi se praeberet, totum se voluptatibus tradidit, sodalitiis, ludis, aliisque ineptentis iuuentutis erroribus tempus sefellit. Neque tamen diu ita oberrare eum passa est diuina prouidentia. Delatus enim ad Carolum Cangium, canonicum Leodiensem, eius colloquiis languens ad virtutum cultum vehementer accensus est animo, eiusque amicitia Lipsio plurimum ad declinandas voluptatis semitas profuit. Erat is, teste AVB. MIRAE-

<sup>r</sup>) Vid. AVB. MIRAEI *Elogia Belgarum* p. 155. <sup>s</sup>) l. c.  
*Hist. philos. Tom. IV.*

MIRAEUS, non modo summus aevi sui Criticus, et veterem literaturam omnem animo complectebatur suo, sed et virtutis erat cultor, qui posthabito tumultu hominum, inter libros latebat, aut hortorum se sepius claudabat, cum florum et hortorum cultura impense delectaretur. Praeterea vir fuit omnino prudens et humanus, et quo radii solis meliorem nullum illuxere alterum. Huic cum in Eburonum vrbe <sup>a</sup> innotuisset, is vt ipse narrat Lipsius <sup>z</sup>, eum hospitio excepit, et vtili quoque sermonum maxime salutarium genere emendauit, oculosque aperuit deterfa vulgarium opinionum nube, viam ostendens, qua sine ambage ad sapientiae templa peruenire possit, nempe emendato et ad tranquillum constantemque statum perducto animo. Quae omnia latius exsequitur, et qua ratione de constantia philosophandi sibi inde ansa data sit, in tractationis *de Constantia prooemio*, explicat. Qua medicina animi restitutus, tumultusque bellicos, et despectendi a recta via occasiones euitaturus peregrinationem in aulam Caesaris Viennam suscepit, prius Dola Sequanorum lustrata, in qua parum abfuit, quin febris perderetur. Reconciliatus tamen cum valetudine Viennam perrexit, ibique Augerium Busbequium, Ioannem Sambucum, Ioannem Cratonem, Stephanum Pighium viros celeberrimos et eruditissimos amicos nactus est. Noluit tamen, quod illi praeoptabant munere aliquo detineri illisque terris alligari, sed patriam meditatus iter, Bohemiae, Saxoniae et Thuringiae regiones iniit. Ibi cum audiret acerbissimis bellorum fluctibus Belgium concuti, patrimonium valde militari furore afflictum esse, nec tutum esse in patriam reditum, lenae Thuringiae oppido, Musarum domicilio celeberrimo haerere aliquantisper statuit. Vbi cum praeclara eruditione valde commendaretur, professoris munus suscepit, fidei professione ea facta, quae inter A. C. inuariatae addictos ibi viget. Quod licet studiose celauerit Lipsius, ipse tamen hanc spartam negare non potuit <sup>a</sup>, nec MIRAEVS eius biographus inficiatus, ERYTHRAEVS autem, candide fassus est, *integumentis dissimulationis eum re necessaria cogente tectum fuisse*. Id quod notante CRENIO <sup>b</sup>, Lipsio aliquando „coram exprobrauit Conradus Schlüsselburgius, qui, vbi narraffet „Lipsium „olim collegam suum et professorem oratoriae facultatis in vniuersitate „lenensi, magnum amatorem Lutheranae religionis egisse, et iureiurando „confirmauisse, se doctrinam Lutheri vt vnam, aeternam & diuinam veritatem agnoscere, Romanique antichristi idololatriam & blasphemiam damnare, *his subiungit*, se Antuerpia reducem cum Leidae illum inuifisset, „et ex illo quaereret, qui rationem reddere posset defectionis suae a vera „religione, respondisse, se Christum non abnegauisse, nec deseruisse, nullam enim et omnem religionem sibi pari pasu ambulare.“ Quae si vera sunt, vt ad conscientiae et testis fidem protocat Schlüsselburgius, satis docent, vbi etiam concesserimus, haec non de Christiana religione vniuersa,

r) l. c. p. 162.

u) Leodii.

z) Initio libri de Constantia.

a) Vid. Instit. Epist. c. ult.

b) Animaduers. philol. P. VII. p. 54-55.

uerfa, fed de feñtis coetibusue intellexiffe Lipfium, quibus Chriftiani inter fe diffident, philofophiae praeceptis eum ad eleuandam religionis auctoritatem abufum, simulationis et difsimulationis egregium fuiſſe artificem, indignumque ſtoica feueritate et ſanctitate facinus admiffiſſe. Verum de his plura dare nec loci huius eſt, nec paginae. Suppeditabunt ea viri docti, qui paſſim de religione Lipſii diſputarunt c. Sane neceſſitate coactum religionis profeſſionem, cui Lutheri ſequaces adhaerent, feciſſe, mutatio poſt annum & quod excurrit, ſecuta fatiſ prodidit. Relicto enim munere, quod orationibus & diſputatione memorabile fecerat d, Colonia abiit, vxoremque duxit Annam Caſtriam, patricia Louanii familia genitam, quam et ſuperſtitione et morum moroſitate marito fuiſſe grauem, annalium literariorum ſcriptores referunt e. Ipſe concorditer ſe vixiſſe ait, licet prodiderit, habere ſe coniugium ſuum pro naſſa, qua fatali Deorum decreto cuſtodiat. Liberos autem cum ea non genuit. Coloniae nouem menſes cum ſubiſteret, *Antiquas Lectiones* conſcripſit, quibus veterum auctorum, & potiſſimum Plauti locis multis deſperatis medicinam attulit f. In ea quoque mora Tacitum primo correxit, et annotationibus fuiſ inſtruxit. Inde in Iſcanum ſuum commigrauit, ruris ſilentia vrbium tumultibus praeferens, ratus, eo in loco tranquille ſe viuere, ſolisque libris legendis ſcribendisque immorari, et cum Muſis congredi poſſe. Verum haec ſpes eum ſefellit. Cum enim inſeſtum rus feciſſet armorum ſtrepitus, Louanium ſecedere, et ſecuritatem quieti praeferre coactus eſt. Quo loco ut in ciuitate conſpicuus eſſet, vtilisque reipublicae appareret, amicorum conſiliis monitus, legum notitiae paulo accuratius diligentiusque ſe tradidit, accepta quoque anno 1606 LXXVI iuris doctoris dignitate tituloque. Neque tamen vel foro ſeruire, vel rempublicam procurare ſtudiorum, quae ſupra modum diligebat, conditio paſſa eſt: contentusque et voce et calamo quibuscunque poſſet, prodeſſe, nullius ſeruitutem ſubire voluit: ratus melius ſe toti reipublicae eruditae, quam vni ciuitati inſeruire poſſe. Diſcipulis itaque leges regias et decemvirales interpretatus eſt, vt et Liuii quaedam, et *Epistolicas Quaestiones* edidit. Quae cum in portu tranquillo ageret, ex improuiſo coorta tempeſtas, quae Belgium miſere conquaſſauit, et cuncta caede, ſanguine, rapinis, incendiis miſcuit, Lipſium velut fractam ventis carinam adeo iactauit, vt ſine certis ſedibus diſcurreret. Tandem anno 1606 LXXIX a Belgii conſoederati ſtatibus receptus et Lugdunenſi apud Batauos academiae publicus doctor datus eſt, quod munus cum inter Proteſtantes fuſceperit, nouam dedit occaſionem, eum inconstantiae in religione accuſandi, ſtrenue hanc culpam depellentibus ab eo amicis. In quam hoc loco inquirere, quia res a noſtrae tractationis inſtituto aliena eſt,

Qqq 2 non

c) BAYLE l. c. not. A. et quos laudat SAGITTARIUS in Lipſio Proteo.

d) Cal. Mart. 1574. clam ſe ſubluxiſſe refert HADR. BAYERS in Syllabo Rectorum et Pro-

feſſorum Ienenſium, p. 987. conf. ZEVMERI Vitae Profeſſ. Ienenſ. p. 24.

e) Vid. PATTIN Lettres T. II. Lettr. 294 p. 565.

BAYLE l. c. not. F. et quos laudat.

f) Cent. ad Germ. ep. 72. p. 705.

non licet: lector quoque eius academiae mores et consuetudinem edoctus facile intelliget, quibus partibus se addictum esse simulauerit. Hunc in locum velut in tutum portum euasisse tum sibi videbatur Lipsius: cum enim magna eius esset in literis gloria, et praeclare de rebus ad antiquitatem spectantibus ad iuuenes differeret, libris autem eruditissimis facem omni literaturae veteri praeferret amplissimam, carus factus est non modo iuuentuti literarum studia in isto Athenaeo sectanti, sed et ipsis academiae patribus, et summis viris, in quorum tutela tum erat celeberrimum gymnasium. Verum ne hoc quoque loco, ubi tredecim annos humanitatis disciplinas publico stipendio conductus docuit, halcyonia diu durauerunt, ipso Lipsio materiam fortunae subministrante, ut in illum fauere. Nempe cum politicam disciplinam et voce et scripto tradidisset, eius generis principia iuuentuti commendauit, quae in Belgio foederato nuper demum in libertatem vindicato placere non poterant. Inter praecepta politica enim, quae libro quoque consignauerat, de religione in imperio fouenda disputans, in hanc sententiam concessit. *Vnam religionem in vno regno seruandam esse*, cumque porro quaereret, vtrum ferendi dissentientes, an puniendi sint? distinctione facta inter eos, qui et ipsi male de Deo receptis sacris sentiunt, atque alios ad sentiendum impellunt, et inter illos, qui pariter male sentiunt sed sibi; respondit, *illos puniendos esse; melius enim esse, ut pereat vnus, quam ut pereat vnitas, nec clementiae locum hic esse, sed vrendum, secandum, ut membrorum potius aliquod quam totum corpus intereat* <sup>e</sup>. Dicit non potest, quantam verba haec inuidiam Lipsio concitauerint, adeo ut in notis postea additis ad ista verba: vre, fecit adscriberet: *O verba nata in turbas! periissent illa et calamus, cum haec scripsi*. Nempe aperte fauere Hispanorum crudelitati videbatur Lipsius, obtentu religionis incredibili fauicia in dissentientes grassanti. Intolerabilia haec videbantur in professore in ea academia viuente, cuius proceres pro conscientiae animorumque libertate cuncta mouissent tolerauissentque. Signum itaque contra Lipsium sustulit Theodorus Volcardus Coornhaert, Harlemensi reipublicae a secretis epistolis, vir acer et acerbus et suis potissimum opinionibus, quodam fanaticismo incrustatis vehementer indulgens, eo quod nulla ex receptis religionum formulis illi placebat: Vnde multae illi lites exortae sunt, in annalibus ecclesiasticis enarrandae <sup>b</sup>. Huic cum infanda Lipsii sententia perhorrescenda videretur, edito *Processu contra haereticidum*, itemque *Quaestione conscientiarum* dicam illi scripsit grauissimam. Defendit sua et commode magis explicuit Lipsius peculiari tractatione *de Vna Religione*, ubi se illa de vera religione intelligere declarabat. Verum ne sic quoque mitigari poterant exacerbati

in

g) Politic. L. IV. c. 3.

h) Memoria viri huius in recentiori ecclesiae historia notatu digna est, ob singulares, quas fuit, et contra ministros ecclesiarum Batavarum defendit hypotheses, quas enarratas habes apud

G. ARNOLDVM Hist. eccl. T. II. p. 59. quocum conferendi P. BAYLE Dict. T. III. art. Kornhaert. p. 13. seqq. HORNBECK Summa controuers. L. VI. p. m. 420. COLOMIES Melange de Lit. Opp. p. 831.



in Lipsium animi, suspectum de vera circa Protestantium dogmata sententia, eo quod statuisset, *domi quiescentem et silentem quemuis esse posse, licet aliud prae se ferret in publica religione.* Tanta enim acie aggressus est Lipsium Koornhaertius edita *Defensione Processus de non occidendis haereticis contra tria capita libri quarti Politicorum Lipsii*, ut fugam meditari coactus, quo se verteret, nesciret. Sedata tamen procerum providentia ista tempestas est, cum ob eruditionis gloriam parcendum Lipsio esset: qui tamen ab eo tempore Batavis diffidere coepit, adeoque, cum emendatis nonnullis duriusculis suspitionem tamen non tolli videret, de mutando loco cogitare coepit. Sunt quoque, qui tradant <sup>i</sup>, mulierem Lipsii superstiosam et imperiosam tamdiu molestam viro fuisse, donec de loco et religione mutanda consilium coepisset. Maxime vero pollicitationes Iesuitarum ambitiosum Lipsii animum permouisse videntur, ut cum nullam sectam et omnem sectam aequali loco haberet, tandem ad pristinam fidei tesseram reuerteretur, quam se clam seruauisse postea videri voluit. Nec a veri similitudine discedit, quod GROTIUS <sup>k</sup> obseruat, metum quoque publicum praeter priuatam iniuriam ad mutandas partes eum impulisse. Timidus enim erat, et foederatorum viribus diffidebat, metuens ne inferiores illorum partes essent, sibi hanc ratione Hispanorum victoria male eueniret. Dolo itaque, bono et pio, si SWEERTIO <sup>l</sup> credendum, clam inde ac furtim, teste ERYTHRAEO <sup>m</sup> se subduxit. Simulato enim hepatario morbo ad Spadae aquas salutare iter suscipiens, Leodii Spadaeque per biennium fere haesit, et ad Colonienfes digressus a Iesuitis in gremium Romanae ecclesiae receptus est, eam tamen mutationem clam aliquandiu habuit. Ita ad societatis obsequium totus praeparatus ab eorum nutibus totus pependit, et imprimis Leonardum Lessium et Delrium auctores rerum suarum habuit. Facileque SCALIGERO <sup>n</sup> credimus, affeueranti, libellos eum de Virgine deipara Sichemensi et Hallensi, Societatis iussu scripsisse, ut illis se probaret, et hac ratione commendationem eorum mereretur. Qui cum valde potentes in aulis esse soleant, passim Lipsius eorum laudibus viris principibus traditus, in academiam Ingolstadiensem, Salisburgensem, Herbipolensem, Pifanam, Patauinam, Romam quoque et in Galliam expetitus est. Quamuis vix credibile putet SCALIGER <sup>o</sup>, eum MCC aureorum stipendio Patauium vocatum, pingue munus recusasse, quemadmodum vero simile vix est, eum ad curandam Henrici IV bibliothecam fuisse designatum, praelatum autem esse illi Scaligerum. Sed Lipsius, cum patriam omnibus praeferret, reliquis vocationibus neglectis a Brabantiae statibus anno MDXCII ad obeundum professoris munus in scholam Louaniensem vocari se passus est <sup>p</sup>. Quam spartam et viua

Q99 3

voce

i) SCALIGER L. II. epist. 120. apud TEISSIER l. c. p. 528.

k) Hist. Belg. L. V. p. 378. l) loc. cit.

m) loc. cit. pag. 5.

n) Lib. II. ep. 106.

o) Scaligerana secunda p. m. 142.

p) Vid. TEISSIER p. 535.

voce et libris eruditissimis, quibus historiam et literaturam veterem illustravit, ab eo tempore egregie ornauit, tantaque inde opinio de eo secuta est, vt cum anno MDXCIX Albertus archidux Austriae et Isabella Clara Eugenia Louanii inaugurarentur, et Athenaeum Louanienſe inuidentes Lipsium aliquid ſubitaneum dicere iuberent, ille autem ex *SENECA de Clementia* pulcherrime differeret <sup>q</sup>, multa eum principes gratia complecterentur, et ita in aula regis commendarent, vt ſtipendio DCCC aureorum, quod ei ſtatus Brabantiae ſoluebant, M aureorum ſumma ei ſingulis annis a rege Hispaniarum adiiceretur. Qua in aula cum plurimum valeret eius eruditio tandem regi a conſiliis et historia ſcribenda eſſe iuſſus, et a profeſſorio munere liberatus eſt. Nunquam tamen aut conſilia dare politica aut rebus ciuilibus immiſcere ſe auſus eſt, homo priuatus et cum libris atque veterum imprimis ſcriptis magis conuerſatus, quam res ciuiles et publicas rationes recentioris aetatis edoſtus. Vt vero hanc, quam in aula Hispanica commendatione Societatis ſibi parauerat, beneuolentiam tueretur, religionem quoque et pietatem ſingularem publice demonſtrare ſategit, et ſe ex animo eccleſiae Romanae addictum eſſe probare voluit, conſcriptis *Laudibus diuae Virginis Halenſis* et *diuae Sichemiensis* ſive *Aſpricollensis*, qui vltimi Lipſii foetus fuere. Valde extollunt hanc eius pietatem in diuam virginem Miraeus, Sweertius et huius generis alii, culpauerunt autem animum leuem, et ex religionis publicae neglectu ad hanc ſuperſtitionem tranſilientem, plerique viri docti, acriter autem ſcripta iſta, Lipſiano ingenio et eruditione indigna reprehenderunt DENAISEVS <sup>r</sup> et THOMSONVS <sup>s</sup>. Dabimus ex Italia teſtem ERYTHRAEVM <sup>t</sup>, ita de his eius ſcriptiunculis et anathematis, quae miraculoſis iſtis imaginibus dedicauerat, ſcribentem: „Sed totius ſcribendi curſus quaſi me-  
„ta fuit Lipſio, Deiparae virginis Sichemiensis et Hallenſis res nouae at-  
„que admirabiles; cui virgini Hallenſi, moriens lacernam ſuam pelliceam  
„teſtamento legauit: in quo non potuit, quin facetorum hominum vrba-  
„nitatem incurreret; qui quidem ridicule, ſed non admodum religioſe,  
„ideo lacernam pelliceam Virgini illi relictam aiebat, quod eius miracu-  
„la, quae tantopere in coelum laudibus efferebat, frigerent ad populum“. Idem de penna argentea, quam diuae Virgini ſuſpenderit iudicauit auctor epigrammatis, quem Scaligerum fuiſſe notum eſt:

*Post opus explicitum, quod tot miracula narrat,  
Pennam Lipſiades hanc tibi, Virgo, dicat.  
Non potuit leuius penna tibi Virgo, dicare,  
Ni forte eſt leuius, quod tibi ſcripſit opus.*

Qui

q) Prodiit haec lectio poſtea, eo, quo habita eſt, tenore adiuncto PLINII Panegyrico in Traianum.

r) In libro de idolo Halenſi.  
s) De idolo Aſpricollenſi.  
t) loc. cit. pag. 6.

Qui lufus adeo noſtra aetate viris emunctae naris non diſplicuit, vt in amoeniſſimis *Colleſtaneis dictorum acutorum AEGIDII MENAGII* quoque compareret, hosque verſus Graecos quoque redderet Cel. MONETA <sup>x</sup>. Certe iudicii laudem et acuminis gloriam in eo ſcripto deſiderarunt etiam Lipſianae doctrinae admiratores <sup>y</sup>. Tandem corpus longa valetudine domeſtica fere exhaustum, deſtillantibus cerebri fluxionibus ineunte vere anni MDCVI conſumtum eſt, et diſparente colore, calore, viribusque, exſpiravit Lipſius X Cal. April. natus annos LVIII, meſes V. Bibliothecam non tam numero quam praeſtantia delectuque librorum optimorum ſpectabilem ſcripta item ſua Guilelmo Greuio Bruxellenſi, e ſore nepoti legauit, et cum XIII annorum adoleſcens eſſet, apud Ioannem Wowerium contubernalem, donec adultior ipſe ea frui poſſet, deponi curauit. Humanitatis exuuiae depoſitae in Franciſcanorum aede ſacra, ad D. Virginis aram, vt quam viuus coluerat, mortuus quoque honorare videretur. Ingenium obtigit Lipſio magnum, viuudum, et ad elegantiam literarum factum, omniumque artium capax, praeter muſicam quam, vt ipſe fatetur <sup>z</sup>, aſpernabatur. Iudicium ſatis acutum, limatum, penetrans, vbi praeciudicia non obſtarent. Quibus et imprimis rationibus eius domeſticis adſcribendum eſt, quod iudicii laudem negligere, quam ineptis frigidisque ſcriptionibus mancipium ſe monachorum nonnullorum paulo ante finem vitae non demonſtrare maluerit. Reliqua enim iudicandi acrimonia, quicquid etiam videatur SCALIGERO <sup>a</sup>, non deſtituuntur. In dicendo autem quamuis ſtriſta illa et arguta breuitas, plerisque diſpliceret, laudandum tamen eſt, quod tenebras vitauerit, ſatisque perſpicue ſcripſerit. Suntque illi dictioni Lipſianae ſuae Veneres, quae lectorem trahunt, et inuitant; et vel aculeum relinquunt, vel mel in legentis animo <sup>b</sup>. Quae laudari ſuo modo vel excuſari tamen in Lipſio poſſunt, imitanda autem proponi non debent, multosque in deuia deduxerunt. Singulare autem eſt, quod de vi memoriae, qua fruebatur Lipſius, narrat ERYTHRAEVS <sup>c</sup>, cum eſſet apud quendam principem virum, ac die quodam iniiceretur mentio de Tacito, gloriantem Lipſium dixiſſe, ſe illud aureum volumen adeo memoria comprehenſum habere, vt nihil ex ea vnquam exciderit, ſtatuendumque eſſe aliquem cum pugione, qui iugulum petat, ſi vnum verbum peccauerit. Hac memoriae fidelitate adiuſtus, cum lectione gauderet vaſta et exercitata in ſcriptis veterum, mirum haud eſt, magnam eum ſibi comparuiſſe artis criticae, antiquitatum, totiusque literaturae veteris cognitionem, et inter primaria ingenia ſaeculi XVI eſſe numeratum <sup>d</sup>. Laudant etiam, qui eo viuo uſi ſunt, morum modeſtiam, in ſermone, cultu, geſtu

u) T. II. p. 382.

x) T. IV. p. 136.

lyhiſt. T. I. L. I. c. 24. §. 65. p. 299.

y) Conf. PATIN Lettres T. I. Let. 26.

c) loc. cit.

z) Cenſ. III. Epift. miſc. 87. Similia de Malherbio et Menagio narrantur, vid. Menagiana T. III. p. 187.

d) Videnda elogia doctorum apud TH. FORK-  
BLOUNT. Cenſ. Cel. auct. p. 840. MIRAEVM  
Elog. Belgar. p. 134. MAGIA. Eponymol. Crit. p.

a) Scaligerana ſec. p. 143.

518. BAILLET. Iugemens. T. II. P. II. p. 306.

b) Faſtus id eſt Heinfius. Vid. MORHOF. Po-

TEISSIER l. c. FABRICIUM l. c.

gestu adeo modicam, ut qui eum audituri aduenissent, Lipsium fama magnum se videre vix crederent. Praeterea facilis erat et humanus, et binas fere horas a prandio adolescentibus studiosis concedebat, qui eum conuenirent, exteris autem semper patentes erant eius ianuae. Tacemus, quae de pietate eius cultuque D. Mariae supra modum ingenti iactant eius biographi Miraeus et Sweertius. Indè factum, ut per omnem fere Europam summorum in republica literaria virorum laudes consequeretur. Sunt tamen, quae in eo non praeter rem culpauere viri docti. Et imprimis merito plerisque displicuit, quod publicam religionis professionem secundum vtilitatem magis quam conscientiam sibi effinxit, et a leuitate animi, quam Vertumni instar in iuuentute demonstrauit in virili, aetate ad anilem superstitionem transierit; unde factum, ut pessime audiret; religio et pietas Lipsiana. Ideo visus est in re theologica aut quocunque modo ad religionem pertinente lubricus, anceps, vagus, in omnes formas mutabilis, qui modo aliquid largiri, modo adimere rursus cupiat, id quod necesse est accidere homini vera religione serio nunquam imbuto, sacrarumque literarum penitus experti. Quod iudicium non illubens subscribet, quisquis *caput quartum et quintum libri quarti Politicorum* attente legerit. Recte quoque in eo reprehenditur immensa ambitio, quae vitae variis mutationibus et calamitatibus iactatae regula fuit et principium, ac eum haud raro in praeceptis egit. Hinc iactantia illa, quam passim in scriptis, praesertim in praefationibus prodit, quamque in epigrammate, quo pennam D. Virgini dedicauit, tam inepte ostentauit, ut nil supra. Quis enim in philosophiae Stoicae sectatore hanc ferat inscriptionem?

*Hanc Diua, pennam, interpretem mentis meae  
Per alta spatia quae voluit aetheris  
Per ima quae volauit et terrae et maris:  
Scientiae, prudentiae, sapientiae  
Operata semper, ausa quae constantiam  
Describere et vulgare quae ciuilia,  
Quae militaria atque poliorcetica  
Quae, Roma, magnitudinem adstruxit, tuam:  
Variaque luce scripta prisca seculi  
Affecit et persudit, hanc pennam tibi  
Nunc diua merito consecraui Lipsius &c.*

Quae iactantia eo magis est ingloria, quo magis alienis plumis se ornasse deprehensus est Lipsius, et plagii crimen ei non praeter rem haud semel obiectum est. Quamuis autem vbique Graecas voces et sententias cre-

e) HENR. BOECLER. *diff. de Politic. Lips.*  
p. 55. et T. III. *Diff. acad.* p. 352 seqq.  
f) Conf. BAYLE l.c. Scaligerana l.c. ARNOLD.  
l.c. P. II. L. 17. c. l. §. 4. p. 450.

g) Scaligerana l. c. THOMASIVS de Plagio  
lit. n. 487 seqq. p. 217 seqq. CRENIVS de Furi-  
bus librar. *Animad. phil.* P. IV. COLOMESIVS  
Gall. Orient. p. 131.

creparet, obseruatum tamen uiris doctis <sup>b</sup>, fatis ieiunam eius linguae fuisse in Lipsio notitiam, et magnum quem sibi in antiquitatibus Latii acquisiuerat apparatus eruditionis non condigna ratione sequentem. Reprehensus etiam a nonnullis est <sup>i</sup>, nimius catellorum florumque amor, in quem sumtus quoque fecit haud exiguos. Plurima scripsit uir doctissimus et supra modum diligens, quae tamen pleraque cum vel veteres auctores emendent, vel rituum antiquorum morumque uetustorum historiam exponant, vel historiam ueteris aevi explanent, alio loco enarranda sunt <sup>k</sup>. Aliquot voluminibus comprehensa prodire Antuerpiae an. MDCXXXVI. Nobis illi modo ingenii Lipsiani foetus enarrandi sunt, quibus ueteris Stoeae philosophiam refuscitare, et feuerius atque succulentius sapientiae genus, quam quod exhibet philosophia Scholastica restituere uoluit. Nempe ut supra iam ex parte narratum, cum communibus patriae procellis iactaretur Lipsius, nec satiaret placaretque animum sophistica illa ars, quam philosophiae nomine in scholis didicerat, uideret autem frustra in tanta fortunae tempestate, quae plerosque eo tempore misere concutiebat, portum tranquillitatis quaeri, nisi animus ab affectuum tumultu liberatus, ad ueram fortitudinem iis bonis nixam duceretur, quae eripi a fortuna non possunt: ad alios fontes diuertere, et meliores praeceptores quaerere coepit. Legerat autem ante omnes ueteres diligentissime Tacitum et Senecam, quorum ille uirtutis Stoicae exempla nonnulla depingit ualde illustria, et a nulla fortunae saeuitia expugnata; hic praeceptis ex Porticu petitis formare animum et instruere contendit. His ducibus in Stoicae philosophiae amplexus ruit, et Virtutis Stoicae atque sanctissimae sectae admiratione captus, hanc sibi in philosophia uiam elegit, et de constantia in aduersis seruanda philosophari, Stoica tamen praecepta Christianis attemperare studuit. Quod facili quoque fauenteque Minerua executus est, unde G. NAVDAEI <sup>l</sup> iudicium: *Lipsum in libello de Constantia tanquam in Darii scrinio, res ipsas quas habebat pretiosissimas, elegantiam uidelicet, et omnes ingenii sui ac iudicii gemmas artificiose conclusisse.* Displicuit tamen plerisque doctrina de fato, quam libri primi capite decimo septimo et sequentibus fufe explicuit. Quamuis enim haud indiligenter fatum hoc suum a Stoico distingueret, et qua ratione nec in libertatem uoluntatis, nec in Dei sanctitatem atque bonitatem peccet et iniurium sit, multis ostenderet, impedire tamen non potuit, quin a multis eam ob rem notaretur. Quod praeuidit, ideoque ueniam Lectoris exorauit, sicubi forte lapsus esset, cum locos illos altiores scanderet de

proui-

h) CASAVBON. ep. 21. apud BLOUNT. l. c. HVERTIVS de Clar. interpr. P. II. p. 287. TEISSIER. l. c. p. 538.

i) MIRAEVS l. c. TEISSIER p. 530. LIPS. Cent. I. ad Belg. ep. 44.

k) Catalogum exhibent MIRAEVS, SWERR-

TIVS, ADAMVS, TEISSIER. VALER. ANDREAS in notissimis libris.

l) In Bibliographia politica p. m. 24. Conf. quae affert TEISSIER l. c. p. 530. 543. et Cel. STOLLIVS Hist. lit. P. II. c. I. p. 639. ubi duae quoque uersiones Germanicae memorantur.

providentia, iustitia, fato. Nec negari potest, Lipsium Stoicis notionibus impeditum claram et distinctam sibi fati definitionem non finxisse, eo quod Stoica emendare, et ad sensum Christianum traducere vellet, quod tamen fieri non potest, nisi ipsum tollas fatum Stoicum. Quod non recte agnovit Lipsius, et decipi se passus est a magniloquentia Stoica et simulatione saniorum verborum, ut crederet, Germanos verosque Stoicos aperta fronte nunquam talia, qualia Chrysippus, fuisse professos, et si improuidi quid in huiusmodi dictis inquit, nihil tamen inesse impii. Quam cantilenam in dissertationibus de physiologia Stoica, ubi cuncta accuratius exponere conatus est, repetiit. Quae omnia tamen quam falsa sint, et a vera Stoicorum mente abeant, *Tomo primo* adeo luculenter, nisi fallimur, ostendimus, ut ea hoc loco repetere non sit necessarium. Louanium delatus, quam texere coeperat telam absoluit, et philosophiam Stoicam omnem tum in *Manuductione ad philosophiam Stoicam* tum in *Dissertationibus de physiologia Stoica*, quibus tertiam de *Morali doctrina* addere volebat, morte tamen praeuentus, non edidit, complexus est. De quibus eius libris, quos introductionis loco in Senecae scripta vulgauerat, cum *Tomo primo* nostram iam exposuerimus sententiam, eo lectorem ablegamus <sup>m</sup>. Ita via praeparata ipsam Senecae operum editionem breuibus at vtilissimis annotationibus curauit, quam *Tomo* quoque *secundo* iam enarrauimus. Quo ex labore haud exiguam eruditionis famam merito retulit, omnium enim optime de hoc philosopho eiusque scriptis meruit. Nec deneganda Lipsio laus ista est, omnium eum praeclarissime in explicandis philosophiae Stoicae praeceptis sua aetate fuisse versatum, eamque Porticus placitis lucem accendisse, qualem nemo forte post eam extinctam attulit: sic ut carere Lipsianis his foetibus nemo possit, qui tristes hos philosophos accurate noscere cupuerit. Quin hoc quoque fatendum, vidisse eum et depofuisse nonnulla praeiudicia, quae historiam huius sectae totiusque philosophiae veteris valde commaculauerant. Ast cum hanc ex omni antiquitate sectam omnium tutissime sequendam esse ad veram sapientiam adipiscendam statueret, et nimia prudentiae opinione de ea occupatus ad eam accederet, fieri aliter non potuit, quin multa sana putaret, quae in ipsis fundamentis morbida sunt, et admitti non possunt. Et hinc plurima pro sacris religionis Christianae dogmatibus consentaneis habuit, quae immane quantum distant. Quod cum viris doctis <sup>n</sup> passim obseruatum, a nobis autem in historia philosophiae Stoicae multoties annotatum sit, heic prolixè probari non debet. Vna dedicatio dissertationum de physiologia Stoica legenda est, ut intelligamus, quam grauiter aberret Lipsii de philosophia Stoica iudicium. Rectissime quoque reprehensum in eo ab H. BOECLERO <sup>o</sup>, quod Stoicorum cauillationes vocabulorum, arrogantiam et affectationem perfectionis maioris,

m) Conf. Act. phil. Vol. I. p. 747.

n) Ex multis vide THOMAS. de Exult. mundi Stoica diss. XIII. p. 166. Orig. hist. phil. p. 6.

BOEDEVM Anal. hist. phil. c. 4. p. 256. c. 6. p. 300.  
MORHOF. Polyhist. T. I. L. I. c. 4. §. 2.  
o) loc. cit.

maioris, quam materia capit, non obseruauerit, immo, quod merito addimus, imitatus sit. Quare non sine delectu et examine libelli utilissimi adhiberi possunt. Eclecticum vero agere constituit Lipsius in *Politicorum* siue *ciuilis doctrinae libris sex*, qui ad principatum maxime spectant, post primam Lugdunensem editionem saepius, omnium tamen optime a IO. FREINSHEMIO <sup>p</sup> vulgatis. In quibus licet ad solum imperium et statum reipublicae monarchicum respexerit, multa tamen monuit, quae omnino placere possunt et debent, vnde enatum iudicium BOECLERI, qui peculiari dissertatione *de Politicis* I. LIPSIUM tractauit, *neminem accuratius naturae, rationis, disciplinae fontes, quatenus huc pertingunt reclusisse Aristotele; nec Lipsio alium esse potiore, qui in veram actionis humanae palaestram agendorumque penetralia historiarum ambitu conclusa rite perduceret* <sup>q</sup>. Sane et ordo concinnus, et delectus sententiarum veterum, et communita ciuilis prudentiae fundamenta, et meta semper in oculis habita, omnino laudem merentur. Verum nec suis corpus elegans naeui caret. Vt taceamus enim, frigidam esse religionis in eo opere curam, quod in homine, per omnem vitam in scriptis gentilium volutato et insigni religionis simulatione vtente minime miramur, cum totum se in eo argumento ambiguum ostenderit; *κακοπροσωπία* quaedam et consilia suspecta, maxime vero arcana dominationis iniusta recte in eo reprehenduntur, et in causa fuerunt, cur liber cetera elegans et doctissimis atque prudentibus viris vehementer displiceret. In nonnullis quoque, vt ipse ciuilem prudentiam ex libris veterum magis collegerat, quam ex vsu didicerat, ea quae actione et experientia tantum discuntur, ad subtilitatem contemplationum exigi posse opinatus est, quo pacto imaginaria cum Platone ciuitas extrui solet. Quae etiam de *Observationibus* eius in *Tacitum* suo modo valent, in quibus, quod ad cetera attinet, praestantissimam doctrinam demonstrauit. Vnde optimum hunc inter Lipsiani ingenii foetus esse, iudicauit Scaliger <sup>r</sup>. Pertinent huc quoque eius *Monita et exempla politica*: in quibus omnibus facile Lector agnoscat Lipsium, qualem haecenus descripsimus.

§. III. Lipsii vestigia qui legerent, et Stoicam philosophiam reoquerent, pauci fuere, et vix vnus GASPAR SCIOPPIVS nominari potest, qui coeptam a Lipsio telam pertexere constituit, et tamen non absoluit. Vitam famigeratissimi viri, et *ταῖς εὐφημαῖς καὶ δυσφημαῖς* in annalibus literariis notissimi, hoc loco enarrare, ab instituto nostro alienum est, et praeterea, ob aduersariorum obiectiones, quibus famam eius admodum conspurcarunt, et strenuam, quam illis opposuit, negationem, incertum, et maius atque prolixius examen postulat, quam hoc loco dari potest: praesertim cum critici, quam philosophi personam suscipere maluerit. Lectoris itaque harum rerum curiosi diligentiae relin-

*Restauratores philosophiae Stoicae alii. Gaspar Scioppius.*

R r r 2

qui-

p) Arg. 1641. 12. Addita in fine BOECLERI Dissertatio laudata de Politicis Lipsianis.

q) Conf. quae collegere REIMM. Hist. lit.

Germ. P. V. p. 94. STOLLIVS I. c. p. 722.

ARNDIVS Bibl. herald. polit. p. 86. BVDDEVS

Magoge p. 322. r) Scaligerana I. c.

quimus, ex libello, qui *Vitam et parentes Gasparis Scioppii* satyrico sale adsperso enarrat <sup>s</sup>, et Scioppii responsione, quam titulo: *OPORINI GRUBINII Amphotides Scioppianae*, emisit in lucem, eiusque *Paedia humanarum et diuinarum literarum*, inter se comparatis adhibita attentione et iudicio ea seligere, quae ad res eius noscendas et a falsis distinguendas pertinent, facem praeferebat P. BAYLE <sup>t</sup>, qui consulendus, donec accurata et critica viri tot diuersis doctorum virorum sententiis famosi historia, quam non nemo promisit <sup>u</sup>, prodeat. Nobis hoc loco ideo in conspectum lectoris producendus est, quia saxum, quod Lipsius voluere coeperat, et ipse aggredi et maiori cura ac felicitate absoluere constituit. Teste enim, auctore *Vitae Pauli Sarpis* <sup>x</sup>, cuius quoque verba exhibet P. BAYLE, cum celeberrimo hoc libertatis Venetae assertore Venetiis transiens, collocutus multa more suo magnifice iactauit, de doctrina veterum Stoicorum, eorumque placita ex tenebris, quibus sepulta iacere dicebat, se protracturum in lucem esse promittebat. Parum tamen tanto hiatu dignum praestitit promissor, infinitis animi varii, mordacis et acerbis motibus ad alios labores et arrodendos viros doctos distractus. Nihil enim lucem vidit <sup>y</sup> praeter *Elementa philosophiae Stoicae moralis, quae in Senecam, Ciceronem, Plutarchum aliosque scriptores commentarii loco esse possunt* <sup>z</sup>. Neque in hoc libello, rarius hodie occurrente, inuenies, quod magnam in hoc argumento gloriam auctori suo pariat. Exigua enim et perbreuis est tractatio, et, quod Cel. STOLLIVS <sup>a</sup> apposite monuit, pars tantum maioris operis, cuius capita aliquot a LXX ad CLIII exhibet. Nec in hac scheda nouum quid audax attulit criticus, sed Lipsium exscripsit, vel, si honestiori vocabulo utendum, in compendium misit <sup>b</sup>. Parum ergo fundi philosophia Stoica hoc labore sibi acquisiuit. Eleganter porro in hoc campo versatus est, et Stoicam ethicam omnibus praetulit, eamque philosophantibus viam commendauit, DANIEL HEINSIVS, cuius, pulchra extat oratio *de Philosophia Stoica*. Verum nec a tanto, qualis ille fuit, viro quicquam lucis amplioris ad colendam hanc philosophiam allatum est, et pleraque expressa verbis tantum elegantibus ex Lipsio, breuia quoque cuncta, et ad dicendi magis apparatus, quam ad doctrinae paediam relata, vnde parum inde promouit sapientia Stoica. Plus ad eam illustrandam commendandamque attulit THOMAE GATAKERI diligentia <sup>c</sup>, quo incertum, an quisquam recentiorum maiorem eruditionis copiam ad hoc argumentum adhibuerit. Cum enim vir doctissimus, omnem fere veterem literaturam animo esset

Daniel Heinsius.

Thomas Gatakerus.

s) Prodiit cum Confutatione fabulae Burdonum, Leidae 1609. 8.

t) Dict. T. IV. Art. Scioppius p. 172. add. REIMM. Hist. lit. Germ. P. V. p. 188.

u) V. C. Carolus Henricus Langius.

x) pag. 191.

y) In causam eius rei inquirat REIMM. I. c. P. IV. p. 676.

z) Mogunt. 1608. 8.

a) Hist. lit. P. III. c. 4. §. 14. p. 672.

b) МОРНОФ. Polyhist. T. II. c. 4. p. 23. ВУД-ДЕВС Annor. ad Hist. phil. c. 6. p. 380. Itag. p. 298.

c) Vitam celeberrimi viri praefixit editor Eius Aduersariis miscellaneis posthumis inter Opera eius critica Trai. ad Rhen. 1698. fol. editis. Natus est Londini 1574. denatus 1654. Cantabrigiae, vbi praefectura Collegii SS. Trinitatis functus est.



effet complexus, et lectis plerisque scriptis veterum philosophorum, oratorum et poetarum, imprimis Graecorum, amplissimum doctrinae antiquae thesaurum sibi comparauisset, quo in artis criticae et antiquitatis studio incomparabilis euasit, Graecam autem linguam egregie effet doctus, et iudicio vteretur acri, lectionem autem stupendam diligentia insolita acquisiuisset, quo pacto laudes summorum virorum meruit<sup>d)</sup>: Stoicam philosophiam noua luce donare, et imprimis eius moralem partem commendare annisus est. Quem in finem ANTONINI imperatoris librum *περι εαυτου* commentario illustrandum, et praemissa dissertatione Stoicam philosophiam commendandam sibi sumisit, vt iam *Tomo secundo* annotatum. Et in commentario quidem, omnino fatendum est, magnam Gatakerum eruditionem demonstrauisse, et ex incredibili, quam possidebat, lectionis copia attulisse, quicquid apud veteres, cum philosophos tum scriptores alios lucem foenerari potest philosophiae Stoicae, et praecipue morali eius parti, vnde factum, vt obscuris Antonini aphorismis clarissimum multoties lumen accenderet. Subscribimusque MORHOFIO<sup>e)</sup> pronuntianti, *Promptuarium veteris doctrinae moralis eum non immerito vocari posse, eo quod diligentissime sententias Antonini e Stoicorum scriniis desumas cum ceteris philosophis contulerit, non quidem vt longas de iis disputationes institueret, sed breuiter tantum testimonia adduceret.* Verum quoque, quod addit: *Commentarium hunc mirifice prodesse posse hunc fundum occupaturo.* Eum enim cum MENAGII *Commentario in Laërtium*, et STANLEII *Historia philosophica* instar pandectarum veteris philosophiae Graecanae haberi posse, experti nouimus. Dolendum autem virum cetera eruditissimum et recti pectoris, sine praeiudicio ad hoc opus aggrediendum non accessisse. Cum enim falsa Stoicae philosophiae admiratione effet occupatus, qua omnia sibi sana fingebat, non potuit non in perspiciendis veris sensibus philosophiae Stoicae coecutire, et germanam porticus mentem in multis ignorare, atque perperam interpretari. Inde euenit, vt abominabiles non nunquam Stoicae philosophiae errores pro sanis dogmatibus haberet, et ad eos illustrandos illa veterum testimonia cumularet, quae si verus eorum sensus consideretur, longe aliud dicunt, et a Stoicis immensum distant. Id quod imprimis in comparandis oraculorum sacrorum effatis cum Stoicorum praeceptis viro doctissimo non accidisse vellemus, qui splendidis Stoicorum verbis deceptus ipsum D. Paulum in Stoa multoties reperit. Idem opus in praemissa dissertatione siue praeloquio de disciplina Stoica simili ratione modoque vrget. Comparatis enim veteris Graeciae sectis cum Stoica, hanc aliis praeferre nullus dubitat, eiusque sanctissima, vt putat, decreta, multis verbis commendat. Maxime vero, cum graues inter Epicuri hortum et Zenonis porticum lites iam olim intercessissent, huius partes contra illum suscipiens non modo grauis atque vehemens in

Rrr 3

Epi-

d) Vid. M A G I R. Eponymol. crit. p. 378. C O M E S. Opusc. p. 297. 652. I O. F A B R I C I V S Hist.

bibl. suae P. II. p. 452. et quos laudat. B V D D E V S Hist. phil. c. IV. p. 248. \*) I. c.

Epicurum est, et veteres obtreptiones magno animo recoquit; sed et ethicam Stoicam iis pigmentis ornat, quibus elegantissimum vultum, et pietatem singularem ostendit. Quod accurate se executum esse credidit, cum omnia *ἀπολεξεί* ex Stoicorum monumentis afferret. Verum deceptum fuisse virum eruditissimum partis studio, nec ad germanas Stoicorum hypothesas accurate fatis et sine praeiudicio attendisse, plurimum autem dedisse affectui odioque, quo Epicuri philosophiam persequeretur, ipsumque Gassendum, pro Epicuro doctissime pugnantem tacite petebat, ex iis quae supra locis suis iam diximus, adeo clarum esse putamus, ut iis prolixiora adiacere non sit opus. Ipsum potius Lectorem rogamus, ut hanc Gatakeri dissertationem cum systemate Stoico, quale suo loco descripsimus, conferat, et ea quoque in partes vocet, quae doctissimi viri IACOBUS THOMASIVS<sup>e</sup> et IO. FRANCISCUS BVDDEVS<sup>f</sup> falso isto praeiudicio non impediti de philosophiae moralis et naturalis apud Stoicos sensu vero et germano disseruerunt, vel si tanti videbuntur, ea cum Gatakerianis comparet, quae alibi<sup>g</sup> de *Stoicis subdolis Christianorum imitatoribus* scripsimus. Ex iis enim, nisi nos omnia fallunt, *πρῶτον ψεύδος* illud clarissime conspicietur, quod Gatakerum in transuersum egit, illique persuasit, ut sana esse putaret, et velut optima commendaret, in quibus virus latet merito pertimescendum. Hoc vero cum tantae doctrinae tamque accurati iudicii viro acciderit, mirandum haud est, alios, qui tantum doctrinae et acuminis ad commendandam philosophiam Stoicam non attulerunt, ad eundem lapidem offendisse, et deceptos splendidis Stoicorum mendaciis inter tenebras et lucem, ita pacisci conatos fuisse, ut ipsam Christianae veritatis sanctitatem ad Stoicam impietatem inepta comparatione traducerent. Id quod imprimis ANDREAE DACIERIO accidit, qui et ipse Antonini librum annotationibus illustravit, et sanam esse philosophiam Stoicam somniauit. Qui si ab inepto conciliandae gentilis philosophiae cum scripturae sacrae et religionis Christianae decretis studio abstinuisset, si maiorem ad perspicendum verum systematis Stoici nexum attentionem attulisset, si parcius eloquentiam ad comendos fucandosque Stoicorum errores adhibuisset, non meruisset acerbam reprehensionem FRANCISCI BALTI<sup>b</sup>, viri historiae veteris philosophiae non satis quidem periti, at qui naeuos tamen Stoicos acutius vidit et damnauit candidiore pectore, quam Dacierius. Alios quos huc adducamus non habemus. Quamuis enim multi recentiorum fuerint, qui Stoicam disciplinam illustrauerunt, quos suo loco potiores nominauimus, illi tamen inter restauratores huius sectae numerandi non sunt, cum hanc nobis doctrinam imitandam non commendauerint, adeoque falsis nominibus pagina nostra replenda non est. Ad quem lapidem offendisse nonnullos, qui historiam philosophicam attigerunt, haec *ὡς ἐν παρῶν* monere non abs re erit, concinente, qui familia attulit, B. IO. FR. BVDDEO<sup>i</sup>. CA-

e) De Exult. mundi Stoica. f) De erroribus Stoicorum inter Analecta Hist. philos.  
g) Tempe Helu. T. III. p. 260.

h) Jugement de SS. Peres sur la morale des payens, passim.  
i) Annor. ad Hist. phil. c. VI. §. 3. p. 380.